16
199
34-6-C-12-

LEONIS ALLATII
DE
CRYPTOGRAPHIA
GRÆCORUM RECENTIORVM
EPISTOLA.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA

VIENNÆ AUSTRIÆ,
In Officina Typographica Matthæi Coſmerovij, Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Aulæ Typ. A. D. 1657.

NOBILISSIMO, MAGNIFICO ET ERVDITISSIMO DOMINO,

DOMINO

IOANNI GUILIELMO MANNAGETTÆ,

SAC: CÆSAREÆ MAIEST: ARCHIATRO AMPLISSIMO, Domino & Patrono meo Gratioſo.

NUmam Romanorum Regem ſecundum, cùm leges ſuas futurorumq; prædictiones omnes, Egeriæ Nymphæ referret acceptas & Muſis: harum unam, ſingulari ante alias cultu afficiendam, Quiritibus ſuis commendâſſe legimus (a), quam à ta-cendo

(a) apud Plutar. in Numâ.

cendo Tacitam nuncupavit. *Muſam,* Magnifice DOMINE, *etiam ego Tibi ſiſto: imò Muſas* in LEONE ALLATIO *omnes; & Locutias, quæ nomen iſtud, immortalibus ingenij monumentis clariſſimum, docta per ora Virûm circumferunt ubiq; & cum illis* Tacitam, *Epiſtolâ, quam nunc edidimus, docentem, quomodo ſecretos animi ſenſus literarum notis, ne cuivis innoteſcant, tegere Græci ſoleant recentiores. Siſto autem, non ut commendem ſuo commendatas pretio jam ante: ſed ut initam* Tibi *cum* VIRO INCOMPARABILI *amicitiam gratulentur illæ ipſæ, quas promoves, quas domum* Tuam *humaniſſimè invitas, quarum deniq arbitrio fœdera* Vobis *coaluêre, dum magno* Tu *exemplo & his temporibus perquàm raro, venerandũ Amicitiæ nomen, quod fœdis lucris plurimi prætexunt, eruditionis & virtutis amori reddis, cui debetur. Sanciat igitur pacta Barbarus Scytha* (b) *vel Carmanus* (c) *hauſto amici ſanguine, quem animam ejus eſſe, Critiæ* (d) *credidit malè, aut Empedocli* (e): Tu, ALLATII *Muſas excipiens, quid aliud quàm*

(b) Lucian. Toxar.
(c) Athenæ. lib. 1.
(d) Ariſtot. de Animâ tex. 32. S. Ambr. de Noë & Arcâ c. 25.
(e) Cicero in Tuſcul. quæſt. Tertull. de animâ.

animam ipſam excipis, arctiſſiméq; Tibi *devincis* Viri *illius, quem propiùs quicunq; nôrunt, Helicona vocare ſolent ambulantem? Macte tantâ in* TANTVM VIRVM *beneficentiâ,* Ampliſſime DOMINE, *& qui medendi artibus Opifer totum per Orbem Apollo diceris, Muſageta etiam, alio Apollinis cognomine, dici gaude; benignisq; manibus dulciſſimum onus, Muſas, in monumentis veterum ſuſtinentem* (f), *feliciſſimè, ut facis, exprimere perſevera.* DEVM *precor, ut optimis ſucceſſibus & hoc Anno ineunte, & quàmplurimis ſequentibus* Te *velit augere.*

(*f*) Auſon. in gripho ternarij, & Scalig. Auſonian. lect. lib. 1. c. 17.

NOBILISS: MAGNIF: ET
ERUDITISS: D. V.

Obſequentiſſimus

Matthæus Coſmerovius,
Sac: Cæſ: Majeſt: Aulæ
Typographus.

LEONIS ALLATII
DE
CRYPTOGRAPHIA GRÆCORVM RECENTIORVM EPISTOLA.

Carolo Morono ſuo Leo Allatius S. P. D.

ETiam cùm ruri habitas, & agrum colis, cùm reifamiliari maximè ſerviendum, & animus antea negotijs civilibus afflictus, & umbriferis nemorum ſaltibus, & arboribus patulis, & camporum amœnitate, & apertâ aëris aſpiratione relaxandus eſt, in volvendis veterum Auctorum

ſcriptis operæ plurimùm, ſtudijq́; conſumis. Nec tibi, mi Carole, robur, & æs triplex circa pectus eſt, qui nec in laboribus corporis, nec in animi perpetuâ contentione, non dico, conficeris, ſed quaſi tibi ex imbecillitate vires augeſcerent, reficeris. Significas mihi, te inter alia, autumnali hâc tempeſtate, de Ioſaphato, & Barlaamo hiſtoriam à Ioanne Damaſceno piè, doctè, eleganterq́; conſcriptam, accuratiùs, & attentiùs, quàm aliâs feceras, in manu ſcripto Græco Codice volutantem, cùm nullis obſcurioribus fœdaretur, nec perturbaretur difficultatibus, ſed omnia perſpicua apertaq́; oculis & menti repræſentaret, dici non poſſe, quantam ceperis voluptatem. Verùm in ipſo fine, reperiſſe te literas, quas nec legere potuiſti, multòq́; minùs, quænam in eis fuerit ſententia, deprehendere. Quare, utut erant, effigiatas mittis ad me, ut ſi quid mihi in illis

illis intelligendis, literaria mea ſupellex ſubminiſtrat, tibi tranſmittam. Literæ ſunt: κεʒϑω εϧοβφεν β ηϧηολω ϑχψβ επ υεςʒλω ϧσϑνλχ φϧολκλνλχ βψϧω πεπψβψϑι πϑʒκλχω ξε κοεϧλχκνω ϑξϑκλχω λχπλχν σφιολι ςʒετϑψε κϑνψεω. Non ero uſque eò difficilis & moroſus, ut tibi non ſatisfaciam, præſertim de re & curioſâ, & non ita omnibus obviâ: & ut multa prætercam, quæ de numeris, & literarum notis Grammatici perſtrepunt, certum eſt, Græcos non recentiores modò, ſed etiam medij temporis, & antiquiſſimos (quemadmodum & Romanos, & Hebræos) literis ſuis numerorum loco uſos fuiſſe, aliâ tamen, atq; aliâ ratione prout ferebant tempora, & cogebat neceſſitas. Quidquid ſit modò de Romanis, & Hebræis, Græcorum vetuſtiſſimi, non omnes, ſed pauciſſimas uſurpabant, quas cùm implicarent, & multiplicatas adijcerent, nume-

rum

rum indicabant: quas & in fine librorum, & in Athenienſium legibus per Solonem conſcriptis, in mulctis pecuniarijs, & in columnis veteribus, ac decretis, & alijs ſe vidiſſe, ingenuè fatetur Herodianus: Ἔπι τῶν. σημείων ἄντις φαίη καὶ ταῦτα, ὅσα ἀριθμοῦ σημεῖα ἐστί. καὶ γὰρ ταῦτα ἔντε ταῖς γραφαῖς τῶν βιβλίων, ἐπὶ τοῖς πέρασιν ὁρῶμεν γραφόμενα, ἀλλὰ καὶ παρὰ Σόλωνι τῷ τοὺς νόμους ἀθηναίων γράψαντι, τὰ ἐπ' ἀργυρείου προστιμήματα, ταύτοις ὁρῶ τοῖς γράμμασι σεσημασμένα, καὶ στήλας δὲ τας παλαιὰς, καὶ ψηφίσματα, καὶ νόμους πολλοὺς, οὕτως ἐστὶν εὑρέσθαι, τὰ τῶν ἀριθμῶν σημεῖα ἔχοντας. *Præterea ex notarum genere dicat quiſpiam eſſe eas quoq; quæ numeri notæ ſunt, nam has & in ſcriptionibus librorum vidimus in fine ſcribi, & apud Solonem quoq; qui Athenienſium leges conſcripſit, pecuniarias mulctas iiſdem video literis notatas. Quin etiam columnas veteres, & pſephiſmata, & leges multas invenire eſt, quæ has numerorum notas habent.* Verba Herodiani per ſe clara explicant, & ſignant exemplis, & Adrianus Amoretus, & Henricus Stephanus, qui myriadem Herodiani ad nonaginta millia extendit, ultra

ultra quæ nihil ſtatui certi poſſe conſtat. Hanc eandem numerandi rationem, nos quoq; obſervavimus, in antiquiſſimâ epochâ temporum, quam inter Arundelliana marmora publicavit Ioannes Seldenus. Sed hic numerandi modus, cùm jam propter vetuſtatem obſoleverit, & nullus illius uſus ſit, non eſt cur in eo exponendo tempus teramus. Alia numerandi ratio, quæ videtur dictæ ſucceſſiſſe, fuêre ipſæ literarum notæ, ut jacent, nullâ aliâ extraneâ adductâ, nullâ propriâ detracta, quæ finiebatur numero quarto, & vigeſimo, cùm non ultrà notæ illæ literariæ protendantur. ita ut *α, unum* notaret; *β, duo*; *ε, quinq;*; *ζ, ſex*; *η, ſeptem*; & ſic de alijs, & hoc modo libris numerum præfigebant. Imò libri Homerici, & Rapſodiæ, ijſdem ipſis literis, ſuppreſſo numero indicabantur. Sed neq; hæc propoſito noſtro conducunt, quare ad tertiam recurrendum, quæ ve-

luti facilior, & numerorum expreſſior admiſſa eſt: ea omnes Græcorum literas, ad ſignificandos numeros uſurpavit, quas in tres claſſes diſtribuit. Prima eſt Vnitatum, quam claudit ϑ. ſecunda Decadum, quam claudit π. tertia Centenariorum, quam claudit ω. verùm cùm ad hoſce numeros complendos, literæ ipſæ non ſufficerent, cùm ſint octo tantũmodò in quacunq; claſſe, & novem eſſe illas neceſſariò requiratur, extraneæ tres aſſumptæ ſunt, quibus defectum ſupplevit antiquitas, nempè ϛ, ϟ, ϡ. Vnitatis ſcilicet ϛ, Decadis ϟ, Centenariorum ϡ. ϟ, ſcribit Marius Victorinus, eſſe ϟ Latinorum, & Græcorum Episéma Beda lib. de indigitat: *Græci tres numeros notis proprijs, quæ ex alphabeto non ſunt, depingunt. Prima eſt ϛ, nota numeri* VI. *altera ϟ, quæ vocatur Cophe, & valet inter numeros nonaginta; tertia eſt ϡ enneacoſia, quæ valet* DCCCC. Harum itaq; adjectione, enneades iſtæ literarum,

nume-

numeros omnes exprimunt:

Vnitatum,

α.	β.	Γ.	δ.	ε.	ς.	ζ.	η.	θ.
1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.

Decadum,

ι.	κ.	λ.	μ.	ν.	ξ.	ο.	π.	ϟ.
10.	20.	30.	40.	50.	60.	70.	80.	90.

Centenariorum,

ρ.	σ.	τ.	υ.	φ.	χ.	ψ.	ω.	ϡ.
100.	200.	300.	400.	500.	600.	700.	800.	900.

His itaq; poſitis Græci, cùm aliquid occultare, ne adverſarijs innoteſcens, ſibi damnum, illis utilitatem afferret, vellent, harum literarum tranſpoſitione, ſententiam veluti in latebris contegebant, & quaſi in gremio ſepultam occultabant. Quæ licet non tanti fiant à Scaligero exercitat. 320. quod id artificium facillimè à quovis ſagaciore deprehendi poſſit: attamen non ideò inter deliria collocata ſunt à Princi-

pibus juris, ut, cùm ſe tuliſſet occaſio, ijs non uterentur. Sed erant hi ſcilicet infrà Scaligeri ingenium, qui quâcunq; notulâ primò deprehenſâ, reliquas neq; obluctantes, neq; imperia fugientes, ad certam ſententiam aſtringeret. Iulius Cæſar Imperator, doctus equidem homo, & in intelligendis, penſitandisq; aliorum ſcriptis benè callidus, & politicâ prudentiâ inſigniter inſtructus, ab hoc ſcribendi genere non abhorruit, cùm celari aliquid opus erat, Dione referente lib. 4. εἰώθει δὲ καὶ ἄλλως, ὁπότε τι δ' ἀπορρήτων τινὶ ἐπέστελλε, τὸ τέταρτον ἀεὶ στοιχεῖον, ἀντὶ τοῦ καθήκοντος ἀντεγγράφειν, ὅπως ἀνάγνωστα τοῖς πολλοῖς ᾖ τὰ γεγραμμένα. *Conſueverat alioquin ſi quid ſecreti per literas cuiquam ſignificaret, quartum ſemper elementum in ſcribendo pro eo, quod ſcribi debeat, ſumere, ne obviam literarum lectio cuivis eßet, &c.* Suetonius in Iulio Cæſare cap. 56. *Extant & ad Ciceronem, item ad familiares domeſticis de rebus, in quibus ſi quæ occultiùs perferenda erant, per notas ſcripſit; id eſt, ſic*

ſtructo

ſtructo literarum ordine, ut nullum verbum effici poſſit: quæ ſi quis inveſtigare & perſequi vellet, quartàm elementorum literam, id eſt d *pro* a. *& perinde reliquas commutet.* Et confirmat idem Dio lib. 51. Ἐπέστελλε δὲ καὶ ἐκείνοις, καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς πάνυ φίλοις, ὁπότε τι δέοιτο δι᾽ ἀποῤῥήτων σφίσι δηλῶσαι, τό δεύτερον ἀεὶ στοιχεῖον τοῦ τῷ ῥήματι προσήκοντος, ἀντ᾽ ἐκείνου ἀντιγράφων. *ita enim ſi quid vel ijs, vel alijs ſuis neceſſarijs ſcriberet arcani, proximè ſequentem ſemper literam, pro eâ, quæ exarari debebat, ponebat.* Id etiam factitâſſe Auguſtum, qui & gloria magnisq; rebus geſtis non minor Iulio Cæſare fuit, narrat Suetonius in Auguſto cap. 88. *Auguſtus quoties per notam ſcribit, ponit* B. *pro* A, C *pro* B. *ac deinceps eâdem ratione ſequentes literas, pro* X. *autem duplex* AA. Verba Auguſti ad Cajum recitat Iſidorus orig. lib. cap. 24. *Innumerabilia incidunt aſſiduè ad alterutrum oportet, & eſſe ſecreta. Habeamus igitur inter nos notas, ſi vis, tales, ut, cùm aliquid notis ſcribendum erit, pro unaquâq; literâ ſcribamus ſequentem,* hoc modo, *pro* A, B. *& pro* B, C.

& deinceps eâdem ratione cæteras, *pro* Z. *autem literâ, redeundum erit ad duplex* AA. Quæ (ut ut videatur Scaligero) ea reputata ſunt antiquis ſapientibus, ut Probus Grammaticus, de illis, & earum ſignificatione Cõmentarium ſcripſerit. A. Gellius l. 17. cap. 9. *Libri ſunt epiſtolarum C. Cæſaris ad C. Oppium, & Balbum Cornelium, qui res ejus abſentis curabant, in his epiſtolis quibuſdam in locis inveniuntur literæ ſingulares, ſine coagmentis ſyllabarum, quas tu putas poſitas inconditè. Nam verba ex his literis confici nûlla poſſunt. Erat autem conventum inter eos clandeſtinum, de commutando ſitu literarum, ut inſcriptio quidem alia alium locum & nomen teneret: ſed in legendo locus cuiq; ſuus, & poteſtas inſtitueretur. Quænam verò litera pro quâ ſubderetur, ante ijs (ſicuti dixi) complacebat, qui hanc ſcribendi latebram parabant: eſt adeò Probi Grammatici Commentarius ſatis curioſè factus de occultâ literarum ſignificatione epiſtolarum C. Cæſaris ſcriptarum.* Sed hîc ante alia obſervandum eſt, acriter reprehendi Suetonium ab Her-

Hermanno Hugone, de primâ ſcribendi origine: ſcriptionem hanc non rectè à Suetonio vocari *ſcriptionem per notam*, ſive *per notas*, ut loquitur etiam cap. 56. in Iulio Cæſare, quia literæ etiam tranſpoſitæ, notæ non ſunt; neq; per tranſpoſitas literas ſcribere, idem eſſe, quod *notare*: nam quæ per tranſpoſitas literas ſcripta ſunt, omninò perſcripta ſunt, ſeu ut barbarè loquuntur, ad longum omnibus neceſſarijs literis ſcripta ſunt. notata autem, ſeu notis ſcripta, compendio, & per abbreviationem, ut vocant, ſcripta ſunt. Paulum verò Iureconſultum de milit. teſtam. & Ciceronem in Catilinam, & ipſum Suetonium, hæc duo ita ſibi opponere; *notata, non perſcripta erat ſumma*, & eſſe ipſius Suetonij verba, ſicut hæc Ciceronis, *nondum eſt perſcriptum Senatusconſultum*. Et certam omninò rem eſſe: nam quæ notis ſcribuntur, breviſſima, & velociſſima erant ſcripta; quæ autem

autem per tranſpoſitionem, totidem conſtabant literis, quot recto ordine perſcripta conſtare ſolent, ut patet ex Probo Grammatico, quem Gellius lib. 17. cap. 9. narrat feciſſe Commentarium de occultâ ſignificatione literarũ in epiſtolis C. Cæſaris. Ideòque Varronem, rectiùs quàm Suetonium, ſcriptionem hanc appellaſſe lib. 4. Etymolog. *tractationem*: ubi malè quidam legunt attractionem, uti adnotârunt Turnebus lib. 24. Adverſar: cap. 29. & Scaliger Conjectaneis in Varronem. His aliquid diceret contra Suetonium Hermannus, ſi nota nil aliud ſignificaret, quàm notam ſcriptam, ſive compendio notatam, ſeu, ut barbari dicunt, per abbreviationem, ſed cùm per has literarum figuras, characteres ipſos deſignet, non videtur erràſſe Suetonius, cùm *ſcriptionem per notam*; ſive *per notas*, literas ipſas tranſpoſitas intellexit: eoq; magis, cùm nota etiam ſit, lite-

rarum

rarum ipſe tractus, ad aliud ſignificandum, quàm quod ex natura ſua ſignificat. Nil enim refert, cum B. ſive per lineolam unam, ſive per D. ſive per E. exprimo: tum enimverò & D. & E. æquè atque lineola, non D. & E. ſed B. quod ex vi ſuâ non exprimit, indicat; & notari (non perſcribi) ſive notam, ſive Senatusconſultum, non eſt per abbreviationem ſcribi, ſed ſummatim indicari, & pauciſſimis verbis, quod poſteà cum perſcribitur, pluribus verbis, & ut dictum eſt, exaratur: & Probus Grammaticus de occultâ ſignificatione literarum in epiſtolis Cæſaris ſcribens, id ſolùm interpretatus eſt: Notæ illæ, ſive characteres literarum, quæ ſuum non referebant ſonitum, quemnam proferrent ſibi extraneum, ſed appoſitum à Cæſare. Nil clarius eſt in verbis A. Gellij: ſed notas, ipſas quoq; literas, ſcripturamq; ſignificare, ſatis manifeſtum eſt ex Curion. ad

Ciceronem lib. 3. *Quare Cicero mi, perſevera conſtanter nos conſervare, & Sulpitij ſucceſſori nos de meliori notâ commenda.* Horatius 4. od. 8. *publicis notis inciſa marmora.* Cicero 2. de divinat: *Priſcarum literarum notæ in robore inſculptæ.* Et apud Virgilium: *mandare notas, & nomina folijs*, eſt ſcribere in folijs, ut viri docti adnotant. Quas etiam figuras notarum vocavit Marcellinus lib 18. *Reverſis exploratoribus noſtris, in vaginæ internis, figuris notarum membranam reperimus ſcriptam.* Sed parùm intereſt, ſive *ſcriptionem per notas*, ſive *ſcriptionem per literas* dixeris, idem enim eſt. Satis ſit oſtendiſſe, quidquid ineptiat Scaliger, à ſummis, & Principibus tum in re literariâ, tùm in prudentiâ politicâ viris, cùm florerent bonæ literæ, & Reſpublica Romana quàm maximè potens erat, ac fortunata, ſimilem ſcribendi rationem, per tranſpoſitionem nempe literarum, uſurpatam fuiſſe. Hanc tamen artem & fraudem circum-

cumvolutatione literarum detexeris, ſcribit Erycius Puteanus ad Maximilianum Plouvierium: Proindeut tutiſſimo ſecreto mentem abſcondas, & totum legentis ingenium, induſtriamque fruſtreris, è nova latebra arcanam ſcribendi rationem educit, quâ epiſtolam, aut ejus partes veſtias, clandeſtinum omne Mercurij beneficium facturus: & deinceps teſſeram clandeſtinam, & permutandarum literarum modum digerit, & exemplis nodum explicat, & ad verum ſenſum literas revocat, & concludit; *Si inveſtigare cæperis, laboris deſperatio artem magis commendat. Fruſtra erit, quidquid facies, & omne ingenij tormentum animi vincet præſtantia. Uſurpa ipſe quiſquis es, & ames ἀποκρύπτειν: latebræ fidem certè nunquam accuſabis.* Et hæc tantâ fiduciâ de ſuâ teſſerâ, & literis transmutatis Puteanus, quæ ludi videntur Scaligero, & puerilia nugamenta, cùm à ſagaciori ingenio facillimè deprehendi poſ-

 ſint.

ſint. Quod in literis non æquè mirum judicaveris, cùm in alijs etiam notis, & línguâ quoq; minimè cognitâ conſignatis arcanis, adeò nonnullorum divinitas ingenij potuit, ut nullum jam eſſet occultum, quod eorum induſtriâ omnibus non pateſceret. Tradit Franciſci Vietæ præſtantiſſimi Mathematici, Caſaubonus Notis in Æneam, divinam induſtriam, & inauditam ingenij felicitatem, etiam in ſynthematicis epiſtolis, eâ linguâ ſcriptis, quam non intelligebat, tantam fuiſſe, ut non tantùm ipſe, ſed alij quoq; ejuſdem artis callentes, ſcripturam arcanam, & omnes, quas vocant Sifras, retegerent, & deſcriptas epiſtolas, quæ fuerant interceptæ, peritis linguæ traderent exponendas. Iacobus Auguſtus Thuanus Hiſt: lib: 129. narrat, interceptas literas Hiſpanorum, exoleto, & incognito charactere exaratas, ne ſecretum emanaret, quibus conſiliorum

ſuo-

ſuorum rationem explicabant, & à quibus alij ob notarum tantam multitudinẽ ſe expedire minimè poterant, ad Vietam juſſu Regis miſſas fuiſſe, qui reperto arcano, nullo negotio interpretatus eſt. Quare qui ad odium vel invidiam nihil non comminiſcuntur, magicis artibus (nam aliter fieri non potuiſſe) à Rege id factum, paſſim, & Romæ præcipuè, non ſine riſu & indignatione rectiùs ſentientium per Emiſſarios ſuos publicabant. Admirabilia hæc ſunt fateor; an credibilia? Aliquid Vietam ex occultiſſimis mentium latebris adduxiſſe, equidem & ipſe credo, quod etiam videtur innuere Thuanus, namq; id non eſt extra ingenij aleam. Sifras omnes, etiam alienâ linguâ ſcriptas enodaſſe, vel jurato Caſaubono non credo. Quî enim potuit literas in Sifrâ, ſive etiam notas ſuo loco dimotas, & vagas in proprium locum reſtituere, ni ſenſum,

quem eliciat, ipſe intelligat. Conferantur invicem omnia, notæ notis accõmodentur, literæ literis adaptentur, tum ſyllabæ efformentur, quarum ductu dictio expiſcatur, ſi fieri poteſt. Quid verò tu elicies, ſi neq; ſyllabam calleas, neq; dictionem concipias, neq; quid tinnire poſſint ſynthemata illa, capias. Ne itaq; & Caſaubono, & Vietæ iniquior reputarer, alios quoque rerum harum experientiſſimos, ac ante alios Antonium Rotam, hominem lectione multâ exercitum, cui pleraq; omnia ſimilis Cryptographiæ quæſita (cum graviſſimis magnorum Principum negotijs pari prudentiâ & fide non intererat ſolùm, ſed præerat) meditata, & vigilata ſunt, conſului, Is pauca mihi, ſed veluti ex oraculo vera reſpondit: Nolle ſe temerè judicare de aliorum ingenijs, quorũ variam ipſe ſortem expertus: multa inter ea reperiſſe, quæ divinitatem videban-

debantur ſpirare ; adeò quæ illam conſequebantur, res humanas omnes ſuperemi-nebant. In hâc Cryptographiâ faciliùs comprehendi, quæ literis tranſpoſitis, ſive notis digeruntur : difficiliùs quæ numeris, & hæc ſecunda ſi rectè conſtruatur, neque unus numerus literæ uni reſpondeat, ſed plerumq; ſyllabis, & dictionibus integris, & numerus quoque interturbetur : neque quis prior ſit, à quo excipiatur, & cui poſterior ſuccedat, ſed ordine incerto quandoque diſponantur, hoc verò ajebat ille planè difficillimum eſſe, & ſuâ ſententiâ omnem ingenij humani induſtriam eludere. Ita enim in eo verſari hominem, ac in alto mari jactatum, qui terram nullâ ex parte videat, ideòq; dubium, & hærentem quò ſe vertat, & pectoris impetus frangat. Addebat inſuper, cùm Venetijs eſſet, inaudiſſe Hebræum quendam in eâ haberi exiſtimatione, ut Sifras

omnes

omnes ad ſua principia reductas, & in proprias literas reſolutas diſſolveret. Allocutus hominem eſt; ubi id eum affirmare intelligit, ſcedulam è pectore extractam, in quâ ſimilis ſcriptionis lineolæ quinque deſignatæ erant, porrexit; non abſq; præmio id futurum ſubnexuit, ſi veram eorum mentem conjectâſſet. Quaſi de cælo decidiſſet, occaſio capta eſt ab homine, & abit. Poſt triduum ſcedula Rotæ reſtituitur à Iudæo: in pauciſſimis illis literis non poſſe multum ingenij experiri, requiri longiora ſpatia ad inveſtigandum: tum obſervatè curioſèq; animadverteret. Ita eſt, inquit, Rota, ex arte loquitur; nimis iſta pauca ſunt, non poſſunt manus extendi, ut puſilla aqua corpus non ſuſtineat; & cùm innatare non valeas, fruſtra te cogis in portum. Hinc paginâ integrâ, undique deſcriptâ ſatisfecit. Recepit ſe domum Conjectator ille; nec ultrà apparuit.

Fer-

Fervens ſeſe oſtentandi ſtudium, ſi qui inveniſſet in paginâ, ex latebris in theatrum diſpuliſſet, ſed ſatius habuit non egredi. Conjectum eſt interim, adhuc cum obſcuritatibus ſcriptionis, magnâ contentione decertare. Hîc ipſe rursùs; quid de Vietâ, tam acri omnium Sifrarũ, etiam in linguâ, quam ille non noverat, interprete, ſentiendum eſſet, quidquid dicat Caſaubonus, alijs relinquo. Cum Antonio noſtro conſentit Ioannes Baptiſta Porta de furtivis literarum notis lib. 3. cap. 1. *Ingenuè fateor, multa eſſe poſſe furtiva ſcripta, quæ ſe interpretaturum quemquam polliceri, furorem, ac delirium planè exiſtimarem. Quotus enim quiſq; erit, qui hoc de innumeris penè dolis, ac infinitâ ſcribendi multitudine, citra inſaniam jactare audeat? ut ſi orthographiæ ratio obſervari non queat, latentem aliquo modo ſenſum poſſit eruere? Hujuſmodi erit, ſi quis præter ſcribendi normam, dictiones ex arbitrio ad ſignificandas literas confingat, vel res per diverſum vocabulum ſignificave-*

ficaverit, quorum, niſi interpres ab auctore fuiſſet admonitus, nullo modo ſenſus haberi potuiſſet, quam obſcuritatem nonnullæ Ciceronis ad Atticum epiſtolæ habent. Id genus erit etiam, ſi uno charactere exprimantur & alia complura; quæ non niſi DEO *Opt: Max: interprete, qui ſe intimis animorum receſſibus inſinuat, videntur indigere.* Nunc verò, unde faſtu, acumineque ingenij Scaligerani excurrerat oratio, revertatur; & literas, à te mihi miſſas reviſat: ut verò velatum ijs literis explicetur, literarum omnium Alphabeti trina claſſis, notis etiam extraneis adjectis, diſponenda eſt. Prima incipiet ab α. & finiet in ϑ. Secunda à ι. in ϟ. Tertia à ϱ. in ϡ. hoc modo: α. β. Γ. δ. ε. ϛ. ζ. η. ϑ. tum: ι. κ. λ. μ. ν. ξ. ο. π. ϟ. deinceps: ϱ. σ. τ. υ. φ. χ. ψ. ω. ϡ. tum etiam ordine retrogrado colloca, ϑ. η. ζ. ϛ. ε. δ. Γ. β. α. ita ut ϑ. locũ obtinéat α. η, β. ζ, Γ. ϛ, δ. ε. medium, neque tranſponitur, neque immutatur, & vice versâ: α, ϑ. β, η. Γ, ζ. ϛ, δ. Et hæ ſunt unitates, quas eodem ordine ſubſequun-

ſequuntur decades, in quibus loco ι, ponitur ϟ. κ, π. λ, ο. μ, ξ. ν. medium, ſemper idem eſt ζ, μ. ο, λ. π, κ. ϟ, ι. & inverſo ordine ϟ, ι. π, κ. λ, ο. ξ, μ. ν. & ſic de alijs. Centuriæ quoque eodem modo. ρ, ponitur loco ϡ. σ, ω. τ, ψ. υ, χ. φ non tranſponitur, χ, υ. ψ, τ. ω, σ. ϡ, ρ. & viciſſim μ, ρ. ω, σ. ψ, τ. χ, υ. & ſic de alijs. Et ut clariùs oculis obijciantur, ſcribemus hîc veluti in tabellâ Græcorum literas ſuo ordine, ſubtus verò affigemus literas, quæ loco earum uſurpantur, in tres claſſes diſtinctasq́.

I.

α.	β.	Γ.	δ.	ε.	ς.	ζ.	η.	θ.
θ.	η.	ζ.	ς.	ε.	δ.	γ.	β.	α.

I I.

ι.	κ.	λ.	μ.	ν.	ξ.	ο.	π.	ϟ.
ϟ.	π.	ο.	ξ.	ν.	μ.	λ.	κ.	ι.

I I I.

ρ.	σ.	τ.	υ.	φ.	χ.	ψ.	ω.	ϡ.
ϡ.	ω.	ψ.	χ.	φ.	υ.	τ.	σ.	ρ.

His ſic diſpoſitis, literas quas ad me miſiſti conſidera, & loco illarum, veras Alphabeti literas ſubſtitue, tum aſſurget ſententia hæc: *Πέρας εἴληφεν ἡ βίβλος αὕτη, ἐκ χειρὸς ἰωάννου φιλοπόνου· ἥτις κέκτηται καρποὺς ſε πλείςους πνεύματος ἀγαθοῦς. οὐκοῦν ὦ φίλοι δρέψατε πάντες.* Nec aliud literas haſce indicare certo certius eſt; & exemplo quoque notiora fiant meo. ſcribatur literis tranſpoſitis: *Λέων ὁ ἀλλάπιος ταῦτα γράφει·* Abſque dubio hoc modo collocabuntur: *οεςν λ ϑοοϑ ψϧλω ψϑχψϑ ξȝϑφεϧ.* Et ne tantùm unico & à te tantummodò propoſito exemplo, ſententiam meam munire tueriq; videar, habeto tibi & aliud non abſimile, quod in 648. Bibliothecæ Vaticanæ Codice, Theophylacti Bulgariæ Archiepiſcopi in Epiſtolas Pauli expoſitionem continente, ſic digeritur, in principio; *Ωχξεσν ψϑκεϧνλω ξλνϑυλω λ πλȝϑμ λ ζȝϑτϑω ψβν ςε ψβν ηϧνολν εμ λϧπεϧσν ϑνϑοσξϑψσν πϑϧȝτ ψλχ υεϧξσνλω πϑϧ ςϧϑ ψλχψλ ψϑ ζȝϑξξϑψϑ ξϧπȝϑ*

ξήπ϶θ πθλ ξεζθοθ πθλ λλν ελκελν ψλ πθαλολχ θκλλβψθ. Et in fine; λ ψλ θνψλnλαθλλν ζ϶θτθω θκ϶λωπψλω σν σω ελλπε πθλ ψλχψλ ξλλ ψλν πλκλν κ϶λεμενλωε ξεζλωψλν ελ πθλ θχψλώ ἐζσζε κθ϶θ ψλχψλν θκ϶λωεπφλω κεος κλοοθκοθωλσω. Primum notat: Συμεὼν ταπεινὸς μοναχὸς ὁ Κόρακξ, ὁ γράψας τὴν δὲ τὴν βίβλον ἐξ οἰκείων ἀναλωμάτων, καιρῷ τοῦ χειμῶνος, καὶ διὰ τοῦτο τὰ γράμματα μικρὰ καὶ μεγάλα, καὶ οἷον εἰπεῖν τὸ καθόλου ἀποίητα. Secundum: Ὁ τὸ ἀντιβόλαιον γράψας ἀπρόσκεπτος ὢν ὡς ἔοικε, καὶ τοῦτό μοι τὸν κόπον παρεξένισε μέγιστον, εἰ καὶ αὐτὸς ἔγωγε παρὰ τοῦτον ἀπρόσεκτος πέλω πολλαπλασίως. Et confirmat hanc meam expoſitionem Nota Codici in fine addita; Ἐγράφη ἡ παροῦσα ἱερὰ βίβλος, εἴτουν αἱ τοῦ ἁγίου Παύλου ἐπιστολαὶ χειρὶ τοῦ ταπεινοῦ Συμεὼν ἢ Σάβα, λεγέσθω γὰρ καὶ ἀμφότερα, τάχα καὶ μοναχοῦ, τοῦ ἀπὸ τῆς νήσου Ῥόδου, τοῦ τὸ ἐπίκλην τοῦ Κόρακος, μηνὶ μαρτίῳ, ἰνδικ. ε. ἔτους ϛψμ. ἐγράφη δὲ ἐν καιρῷ τοῦ χειμῶνος, καὶ κατὰ σπουδήν. ἐπεὶ καὶ τὰ γράμματά πως ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἀσύντακτα φαίνεται. *Sacrum hoc volumen, ſive Sancti Pauli Epiſtolæ, exſcriptæ ſunt manu humilis Simeonis ſive Sabæ, dicatur ſiquidem utrumque, fortè etiam & Monachi, ex inſulâ Rhodo, cogno-*

mento Coracis, menſe Martio, Indict. 5. Anni 6840. Chriſti nempè 1332. hyberno tempore & ſolicitè: ideòque literæ utplurimùm inconcinnæ videntur. Sic & alia per te confingere poteris, quibus certa, atque infallibilis hæc literarum tranſlatio, atque inverſio confirmetur, quæ hîc non appono brevitatem affectans. Et ut illud quoque neſcius ne ſis, Græci poſteriores hoc Alphabetum, ſive etiam ſcribendi modum vocant φιλτὸν; neſcio an ab ipſis nunc demum nomen habuerit, an ab antiquis factum ſibi conſervaverint. Quid porrò ſibi velit, fateor ingenuè me ignorare, niſi dicere velimus, eos à φιλητὸς, qui *amabilis* eſt, *amoreq; dignus* decurtâſſe, & feciſſe φιλτὸς, quaſi eſſet ſcriptum, quod ad amicos dirigebatur, & quo ſcripta ſua concredere poterant; ſive etiam à φιλήτης mutatâ voculâ, vel à φηλήτης, ſeu à φῆλος, qui *deceptor* eſt, & *impoſtor* à verbo φηλέω, quod eſt *decipio.* Decipit enim, imponitq; legentibus, cùm

quæ vident, legere non valeant, vel ita diſpoſitis literis nihil in ſe continere, & temerè ita eſſe digeſtas ab homine otioſo exiſtiment. In hâc itaq; literarum tranſvectione, ut vides, nona primæ locum, octava ſecundæ, ſeptima tertiæ, ſexta quartæ, & è converſo occupat. Quod non æquè fiebat in tranſpoſitione Cæſaris, in quâ ſemper quarta ſubſequens, ab eâ quæ ſcribi debebat, ſumebatur, ut d. loco a. idq; ut apertiùs pateat, Alphabetum apponam.

a. b. c. d. e. f. g. h. i. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. x. y. z.
d. e. f. g. h. i. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. x. y. z. a. b. c.

ſitq; pro exemplo, *Leo Allatius hæc ſcribit;* fient: *obr doodynzx ndhf xfuneny.* quæ licet plana & cognitu non ita difficilia videntur Scaligero, qui literarum immutationem jam tenet, attamen ſi aliter inter nos conventum fuerit, de ſitûs literarum commutatione, quæ erit multiplex, ac varia, nec

illa

illa deridebit equidem, atque in illis percipiendis, ſed inani conatu elaborabit, & majores ingenio ſuo vires deſiderabit. Non ſunt tamen hæc ad noſtra comparanda: *Non enim*, ut ajebat ille, *in ſcriptione ſynthematicarum epiſtolarum poſteriora ſecula adeò profecerunt, ut multa è ſubtiliſsimis veterum inventis, ad literarum tegenda arcana, cum hodiernorum politicorum rationibus myſticè ſcribendi collata, jocus & luſus puerilis queant videri.* Hæc porro Græcorum, tranſponendarum literarum ratio, Latinis etiã ipſis, ſi literis ſuis exercitam viderint, non erit neque injucunda, neque ingrata: nec adeò videbitur facilis, ut ſi rectè uſurpetur, omnibus fiat obvia, idque ut rectè præſtari poſsit, quemadmodum Græcæ, ita & Latinæ in tres claſſes dividantur, quarum prima monades, ſecunda decades, tertia centurias notat; & cùm prima, & ſecunda, uti & Græcæ, unâ litera minores ſint, nec integrum numerum compleant, ideoque

quem-

quemadmodum & illæ aliquâ numeri notâ integrari debeant, ideò vel ipſæ Græcæ literarum notæ, vel æquales illis, quæ vulgo apud Italos uſurpantur, vel de novo, & ex ingenio confectæ, aſſumendæ ſunt. Nunc ut planiùs, & faciliùs res procedat, quibus vulgo in uſu ſunt utemur, & in fine primæ claſsis notam 9. apponemus, vel ſi placet etiam, ut explicatu res perplexibilior eveniat, Græca numeralis, ut in Græcis deſignetur, adeò ut h. ſit novenarij nota. ſed cùm 6. numeralis Latina, cum b. literâ in unam formam cadat, ideoq; primo ſui obtutu Lectorem incertum reddere poſſet, Græcum ς. uſurpabimus, quòd & in exemplo obſervabitur, in fine ſecundæ ϟ. vel nota numeralis 90. Cùm verò in tertiâ duplex deſideretur litera, duæ adjungendæ ſunt, una quæ literam ſuppleat, altera quæ numerum, pro litera ſit ω Græcorum, pro nota numerali 900. aut ϡ. & di-

gerantur hoc modo:

a.	b.	c.	d.	e.	ς.	f.	g.	h.
1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
i.	k.	l.	m.	n.	o.	p.	q.	ɣ.
10.	20.	30.	40.	50.	60.	70.	80.	90.
r.	s.	t.	u.	x.	y.	z.	ω.	ȝ.
100.	200.	300.	400	500.	600.	700.	800.	900.

Sit ergo totum Alphabetum diſpoſitum hoc modo, in cujus ſuperiore parte literæ adhibendæ in ſcriptione notantur.

h.	g.	f.	ς.	e.	d.	c.	b.	a.
a.	b.	c.	d.	e.	ς.	f.	g.	h.
ɣ.	q.	p.	o.	n.	m.	l.	k.	i.
i.	k	l.	m.	n.	o.	p.	q.	ɣ.
ȝ.	ω.	z.	y.	x.	u.	t.	s.	r.
r.	s.	t.	u.	x.	y.	z.	ω.	ȝ.

Et ut hoc quoque ex exemplo magis pateat, ſit: *Hâc horâ cum armatâ manu Charondas diſceſſit, ad te conſiciendum, ſi imparatum invenerit.*

ahf

ahf amʒh fym hʒohzh, ohny fahʒonϛhω ϛɕωfeωωɕz hϛ ze fmndɕfgenϛyo ωɕ ɕolhʒh-zyo ɕnyeneʒɕz. Sic etiam ſi rejecto hoc Alphabeto, & illius ductu, notis numeralibus, ut de literis fecimus, uſus fueris, aſſurget non inconcinnus & multò difficilior de ſimilibus ſcribendi modus, 9. ſiquidem loco unius reputabis, 8. loco duorum, 7. loco trium, & ſic de ſingulis, hoc modo:

9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1.
1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.
90. 80. 70. 60. 50. 40. 30. 20. 10.
10. 20. 30. 40. 50. 60. 70. 80. 90.
900. 800. 700. 600. 500. 400. 300. 200. 100.
100. 200. 300 400. 500. 600. 700. 800. 900.

Repoſita itaque eadem ipſa de Charondâ ſententia, hunc in modum ſe habebit:

9. 1. 3. 9. 60. 100. 1. 3. 400. 40. 1. 100.
40. 1. 300. 1. 40. 1. 5. 400. 3. 9. 1. 10.
600. 50. 4. 1. 200. 4. 10. 200. 3. 5. 200.

200. 10. 300. 1. 4 300. 5. 3. 60. 50. 7. 10. 3. 10. 5. 50. 4. 400. 40. 200. 10. 10. 40. 70. 1. 100. 1. 300. 400. 40. 10. 50. 400. 5. 500. 5. 100. 10. 300. Quòd ſi hos numeros, ut & literas tranſpoſueris, id planè difficilius erit, & antequam aliquid concipiatur, primùm ante alia ad hos numeros reducendi ſunt, & ſic erit Sifra ſupra Sifrã hoc modo: 1. 9. 7. 1. 4. 900. 9. 7. 600. 60. 9. 900. 60. 9. 700. 9. 60. 9 50. 600. 7. 1. 9. 900. 40. 50. 6 9. 800. 6. 90. 800. 7. 5. 800. 800. 90. 700. 9. 6. 700. 5. 7. 4. 50. 3. 9. 7. 90. 5. 50. 6. 600. 60. 800. 90. 90. 60. 30. 9. 900. 9. 700. 600. 60. 700. 5. 90. 50. 600. 5. 50. 5. 900. 90. 700. Si quis verò inter hos numeros pro arbitrio numeros millenarium excedentes adjecerit, quos tamen in ſcriptione otioſos eſſe, & tantum ſuâ ſuperfluitate ſcriptionem confundere, inter ſeſe ſcriptores convenere, ſic difficillima erit explicatu, & lectorem

deci-

decipiet, qui ceu alios infra millenarium, ita & eos, qui millenarium excedunt aliquid notare exiſtimans, tempus maximum inſumet in ijs quoque examinandis, & eorum examine ſcriptionem difficiliorem inveniet. Quid ſi verba etiam aliunde ſumpta, & nihil ſignificantia, ijſdem, quibus ſuperiora, numeris exarentur? abſtractior etiam erit, ſi numeris etiam quatuor, alios quatuor, qui nihili ſunt, 4. nempè, 10. 200. & 100. immiſceas: augebit quoque difficultatem, ſi duarum ſimilium literarum unam tantùm expreſſeris, & unâ eâq; ſimplici ſcribas, ut *Alatius*, non *Allatius*; *ſuplicium*, non *ſupplicium*; *comunis*, non *communis*; *aferat*, non *afferat*; & ſimilia: tum numerum bis dimidiatum exaraveris, ut loco 400. 200. 200. & 800. 400. 400. & 900. 250. 250. expreſſeris, interim alios inter decades, & centurias, qui nihil importent, inſperſeris, ut 15. 18. 55 65.

78. & alios; & ſic jam propoſitum exemplum diſponas. 1. 1000. 9. 7. 75. 1. 100. 4. 55. 255. 255. 9. 30. 300. 60. 9. 900. 10. 30. 30. 9. 95. 700. 47. 9. 33. 60. 21. 9. 50. 15. 600. 18. 7. 1. 16. 9. 45. 245. 245. 40. 96. 50. 32. 6. 9. 61. 400. 400. 6. 9. 95. 400. 400. 7. 5. 800. 90. 77. 700. 5000. 19. 1000. 5. 47. 6. 14. 700. 37. 5. 7. 81. 4. 15. 5. 3. 45. 45. 7000. 7. 90. 800. 5. 50. 59. 6. 61. 300. 300. 60. 400. 400. 90. 72. 90. 60. 73. 12. 30. 15. 9. 23. 900. 58. 9. 700. 79. 300. 300. 60. 39. 38. 15. 700. 100. 5. 90. 10. 50. 72. 300. 300. 5. 50. 16. 5. 11. 900. 35. 90. 700. 10. 45. 94. 36. Divinus planè ſit neceſſe eſt, & divino ingenio prænditus, qui ſimilia intellexerit, vel ex ijs veram ſententiam hauſerit. Et pro ſimili tranſpoſitione literarum hæc ſatis ſuperque ſunt, quam ipſe coram in Græcis Codicibus manuſcriptis, ſed non ita antiquis compluries comperi, quâ ſcri-

ptores illi, vel nomina ſua texêre, vel aliquid poſteris arcanum veluti tradidêre. Sed ut verum fatear, non multum animum adjeci, nunc in tui gratiam & recolens, & examinans, ut ut potui, tradenda hæc literis cenſui, ut curioſorum ejuſmodi inveſtigantium laborem ſublevarem.

Vale.

Errata ſic corrigenda.

Pag. 4.	verſu 6.	των σημείων,	corrige τῶν σημείων.
Pag: eâd:	v. 8.	ὀρῴμεν,	corr: ὀρῶμεν.
Pag: eâd:	v. 10.	ὀρῴ,	corr: ὀρῶ.
	Ibid:	στῄλας,	corr: στήλας.
Pag: eâd:	v. 11.	εὑρέθαι,	corr: εὑρέσθαι.
Pag: 5.	v. 12.	*detracta*,	corr: *detractâ.*
Pag: 8.	v. 13.	δ᾽ ἀπορρήτων,	corr: δι᾽ ἀπορρήτων.
Pag: eâd:	v. 14.	αὐτιγράφθιν,	corr: ἀντεγράφειν.
Pag: 9.	v. 6.	δηλῷσαι,	corr: δηλῶσαι.
	Ibid:	ἀἐ στοιχεῖον,	corr: ἀεὶ στοιχεῖον.
Pag: eâd:	v. 7.	αὐτιςγράφων,	corr: ἀντεγράφων.
Pag: eâd:	v. 17.	*orig. lib. cap.*	corr: *orig. lib. 1. cap.*
Pag: eâd:	v. 18.	*aſsiduë ad.*	corr: *aſsiduè, quæ ſcribi ad.*

FINE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE